

10  
Xim.

In Nomine Sacro-sanctæ Trinitatis

DISPUTATIO THEOLOGICA

*In Articulum III. Augustanae Confessionis,*

<sup>De</sup>

# INCARNATIONE FILII DEI.

<sup>Quam</sup>

D E O Opt. Max. Benedicente,

A D M A N D A T U M

SERENISSIMÆ POTENTISSIMÆQUE  
REGINÆ, DOMINÆ NOSTRÆ  
CLEMENTISSIMÆ,

SUB PRÆSIDIO

D N. AESCHILLI PETRAEI  
S. S. Theol. Doctoris & Professoris Primarij in Acad-  
emia Aboënsi, nec non Ecclesiæ Urbicæ ibidem Pastoris,  
& hoc temp. Facultatis Theologicæ Decani,

Pro LICENTIA

*Summos in Theologia honores adeundi,*

*Proponit*

M. JOANNES ELAI TER SERUS  
in eadem Academia S. Theol. Profess. Ordinarius.

*Ad Diem 10. Martij Anni 1648. horis Ante & Pomeridianis.*

*In Auditorio Majori.*

A B O Æ.

---

excudebat Petrus Wald Acad. Typogra. 1648.

Serenissimæ ac Potentissimæ Principi ac  
Dominæ

# CHRISTINÆ AUGUSTÆ.

Regnum Sveciæ, Gothiæ,  
Wandaliæ etc. Reginæ ac Principi hære-  
ditariæ. Nec non Magnæ principi Finlandiæ, Du-  
ci Estoniae & Careliæ, Ingríæque  
Dominæ

Dominæ & Reginæ clementissimæ

*Subiectissime atque humilime*

*dicat consecratque*

*Joannes Elai Ter-  
serus Major.*

*Potentissima Celsissimaque Regina  
Domina Clementissima.*

**N**on dubito, quin multis videar posuisse frontem, qui nec sortem meam norim, nec considerem, quid *MAIESTATI TUÆ* debeatur, cum disputationem hanc publicare audeo sub tanti nominis tutela atque præsidio. Sed non nôrunt, qvi ita sentiunt, excellentem **Tuum** & verè principem animum, qvi quanto majora meretur, tanto benignius exigua interpretatur, nec minus libenter parva munera accipit, qvam magna liberaliter elargitur. Maximè autem me ad hoc audendum, animat Tua omnium ore celebrata humanitas, qvæ ut rariSSIMA est in tanto fastigio dignitatis, ita inter cæteras heroicas laudes et virtutes tuas eximiè fulget. Imo in me ita comprobata, ut cui pro magno munere esset Augusto Majestatis Tuæ vultu aspectuque frui, in tanta mole curarum, in ipsis comitijs, etiam ad colloquium me admisisti, ut sermones tecum sociarem. Et cum præ admiratione Majestatis Tuæ, subinde lapsarem, benigno affatu tuo allevasti. Ego certè ex isto colloquio multo seciùs mihi pollicebar, qvod homo hujus ætatis, huiusque loci, ita mortaloris hominis reformidarem aspectum, ut præ metu vix potuisse sensa animi proloqvi. Itaque T. M<sup>ts</sup>is tale judicium de me verebar, indignum me esse munere, quo tuo jussu Aboæ fungor. At aliam Tibi fuisse mentem exitus declaravit, cum supra meritum, supra votum, & gradum, & in illustriori loco Professionem Theologiæ mihi contulisti: Didici proprio me pede metiri. Novi qvam sit mihi domi

mi curta suppellex. Scio qvam nulla in re sim comparandum cum ijs, qvi ante me hoc honore atque munere sunt functi. Perfictæ frontis essem & deploratae impudentiae, si ingeniolum, quod nil nisi mediocre spirat speratque, eò ambitionis proveherem, ut in istam lucem cupiam traduci. Sed erigit me Dei atque Tuæ Majestatis, h. e. verè legitima vocatio & conscientia meæ fiducia, qvibus ita recreor, ut nec aliorum judicijs deterreor, nec debiliter desperatione. Et si minus possum prædecessorum præstantiam conseqvi, experiar tamen quantum, Dei auxilio, in præclaro hoc curriculo progredi valeam, cum honestum sit, prima sequentem, in secundis, tertijsque subsistere. Ego ijs qvi ad hoc munus me vocarunt, *D E O & T I B I* Regina me credo, & pro Regia clementia nullum majus nec melius donarium pulvinari Tuo inferre possum, qvam simplex votum, quo uno omnia continentur, ut Deus optimus Maximusque Regum ac regnorū præses & custos Te qvam diutissimè mortalium cœtibus interesse patiatur; Coronamque quam Deus, Tuum jus, populi desiderium & publica salus capiti tuo imponent, gestes in Dei honorem, Ecclesiæ ac Patriæ præsidium, & nominis Tui immortalem gloriam, & cum séra dies natali Te Cœlo reddiderit, doneris immarcessibili illa Justitiae corona, qvam reddet tibi **D O M I N V S** in illa die, justus judex.

THESES I.

**D**ivis Augustinus Dominum nostrum Iesum Christum compellans, duo imprimis orat, unum est, ut cognoscat seipsum, alterum, ut Salvatorem suum cognoscat. **D**AMHI inquit, Noss e Me, Nosse Te. Ac nostri quidem cognitio nihil nisi lordes & miseras nobis ob oculos ponit; Salvatoris vero cognitio scientia est salutis, ut Zacharias canit, i.e. cognitio salvatoris: ille enim **N**OTITIA Sui justificabit multos, ut inquit Esajas: & haec est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESUM CHRISTUM, ut ipse Salvator testatur, Ioh. 17.

**I.** Est ergo adeo necessaria cognitio Salvatoris nostri, ut sine illa nec mortem evadere, nec vitam æternam adipisci queamus<sup>s</sup>. **N**eg<sup>t</sup> enim est in alio quoquam salus, nec aliud nomen est sub calo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari, ut S. Petrus in actis loquitur.

**III.** Recte itaq;<sup>;</sup> articulo de PECCATO Aug. Confessio doctrinam subjungit de CHRISTO & incarnationis Mysterio, ut videlicet cognito morbo & malis nostris, tempестive Medicum quæramus<sup>s</sup>.

**IV.** Doctrina autem haec sine controversia MAGNUM EST PIETATIS MYSTERIUM I. Tim. 3. 16. & sapientia Dei in mysterio abscondita, quam caro & sanguis non revelavit, quamq; nemo principium hujus seculi cognovit, Matth. 16. 1. Cor. 2. Fa<sup>t</sup>it, tamen nobis manifesta per Scripturas Propheticas, Rom 16. 26. & ultimis diebus per Filium, Heb. 1. 2. Unigenitus enim Filius qui est in sinu Patris, ille nobis enarravit, Joh. 1. 18. Unde Scripturas jubemus scrutari, quia illæ sunt quæ testantur de ipso, Joh. 5. 39.

V. In explicatione itaq; hujus doctrinæ solam Scripturam Sacram ducem sequamur, per quam Deus hoc mysterium, sicut & cætera omnia, humano generi patefecit.

VI. Neq; tamen vel ita totum hoc Mysterium penetrare possumus: immensa en. est isti<sup>o</sup> profunditas, quæ nunquam à quoquam in hac vita exauriri potest: Cernimus enim nunc per speculum, & per enigm., & ex parte tantum cognoscimus. h.e. quantum Deus revelare voluit, quantumq; ad salutem nobis utile ac necessarium esse judicavit. Cætera reservemus in futuram visionis scholam, ubi Christum Dominum ac fratrem nostrum videbim<sup>o</sup> oculo ad oculum Es. 52,8. Et reiecta facie gloriam Domini intuebimur, 1, Joh. 3. 18.

VII. Ita S. Iustinus, quantus Doctor! quam ingenuè ignorantiam suam in hoc mysterio (lib. de exp. fid. pag. 77.) fatetur! Né me (sicut Lægius verit,) quisquam dellitionis modo percontetur: non enim me pudet fateri ignorantiam, quin contra potius gloriabor quoq;, me arcans minime vulgandis fidem habere: Et Mysteriis Doctoremq; esse eorum sacram, ad quorum perceptionem ratio & mens propter debilitatem suam lagvet. Quocirca neq; ex me neq; ex alio quoquam, clare quidquam & dilucide dicere velis. Si pro mentis nostræ captu, de re tanta aliquid nosse cupis, nulla obstat invidia, quo minus id explicem⁹ apud Ecclesiæ liberos. Nec magis dissimulat CHRYSOSTOMUS: Scio (inquit Hom. 5.) quod verbum caro factum est. Sed quomodo factum sit, nescio. Miraris quod ego nesciam? Omnis creatura ignorat. Et in eundem modum de admiranda illa unione CTRILLUS: Quomodo autem id fiat, neq; mente intelligere, neq; lingua dicere possum, sed silentio ac firma fide ad fuscipimus. in Joh. 1. 4. e. 24. f. 77.

VIII. Quæ autem Deus in verbo suo de CHRISTO Salvatore nostro nobis patefecit, ad hæc præcipua capita revocari possunt. 1. Quod is sit Filius Dei verusq; Deus, Patri consubstantialis & coæternus. 2. Quod idem Deus filius factus sit hominis filius, verusq; homo. h.e. Quod in Christo incarnato sint duas naturæ divina & humana. 3. Quod naturæ illæ non seorsim subsistant, sed unitæ sint in unam personam, ut non duo, sed unus sit CHRISTUS. 4. Quod personalem hanc unionem sequatur vera proprietatum communicationis, ita ut alterius naturæ propriæ alteri naturæ in Persona Christi trahantur. 5. Quod in hunc finem Deus sit incarnatus, ut humanum genus & mortale debet nisi misericordia liberaret, & ad æt. beatitudinem quæ excideramus se.

3

dueceret. Et ideo humani generis dicitur *Redemptor, Servator, Salvator, Ecclesiæque Caput, Rex, Summusq; Sacerdos.* Qvæ omnia in verbo Dej habent expressa clarissimaq; testimonia...

**IX.** Et qvæ S.<sup>ra</sup> S.<sup>ra</sup> sparsim de hoc Mysterio, tradit ea Artic. III. summatim in hunc modum comprehendit: Item docente, quod *Verbum i.e. Filius Dei assumpserit humanam naturam in utero B. Marie Virginis*, ut sint due naturæ divinae & humanae, in unitate Personæ inseparabiliter conjunctæ &c.

**X.** Articulus hic non incommodè in duas partes dividi potest, ut prior sit de Persona Christi, posterior de ejus officio. In priori Confessio nostra tria membra nobis consideranda proponit, 1. de duabus naturis, 2. de earum unione, 3. de communicatione idiomatum. De hisce itaq; nunc, cum Deo ordine agemus.

*P R I M U M M E M B R U M*  
*de duabus naturis.*

**XI.** Duas dicit esse in CHRISTO naturas, divinam & humanam. Doctrinam de divinitate Filii Dei Græci Patres Theologiam vocant, stricte scil. ita dicta, sicuti altera de incarnatione Oeconomia, ut id videre est apud Ignatium, Justinum, Cyrillum, Theodoreum, Damascenum & alios. Oeconomia inquit THEODOR ETIUS (dial. 2.) ad incarnationem & initiationem præcipue Theologia ad Maiestatem & divinitatem filij geniti pertinent. Et paulo ante, hanc Regulam tradiderat: *Cosm' multa in divinis literis theologice, multa oeconomicè dicantur, quæ oeconomicè dicta sunt Theologicis non sunt accommodanda.* Sed de hac Theologia h. e. Filii Dei divina Maiestate, in disp. in art. 1. de S. Trin. dictum est, ubi sex argumentorum generibus divinitatem filii Dei adserimus.

**XII.** Per VERBUM intelligit DEUM, non absolute & simpliciter; sed genitum, à Deo genitore & Deo procedente, non essentialiter quidem, realiter tamen seu personaliter distinctum, i.e. Secundam personam Trinitatis. Et ideo dicit quod VERBUM i.e. FILIUS DEI assumpserit humanam naturam,

**Cur filius  
incarnatus** XIII. Si quæras cur Filius potius, quam Pater aut Sp. S. us incarnatus sit? Resp. Secundum ipsam id expressè ration docere. Patres tamen has rationes adferre solent:  
1. ut qui ab et. erat Filius Dei, in tempore fieret Filius hominis, ne filii nomen ad aliud transire. 2. ut qui erat Filius Dei naturalis, faceret nos filios Dei adoptivos. 3. ut per quem omnia facta sunt, per eundem omnia restaurantur. 4. ut quia imaginem Dei amiseramus, per eum qui vera Imago est, eam recuperemus. 5. ut media Persona in Trinitate, mediatrix fieret inter Deum & hominem. vid. Iren. l. 3 c. 20. p. 537. & Just. de Exp. fid. p. 16.

*De humana Christi natura.*

XIV. Non minus a. ad salutem necessarium est humanam ac Divinam Christi naturam cognoscere. Christus enim in carne condemnavit peccatum, Rom. 8. 3.

*ne carissima  
cognitio  
Hm Nam* in corpore carnis suæ per mortem nos reconciliavit, Coll. 1. 22. Sangvine ejus justificati sumus, Rom. 5. 9. Et quia carnis & sanguinis nostri particeps factus est, ideo non erubescit nos fratres appellare, Heb. 2. 14. Et propterea Omnis spiritus qui negat Iesum Christum venisse in carnem, non ex Deo est, sed Antichristi spiritus i. Johan. 4. 3. Hinc Athanasius in Symbolo etiam necessarium ad salutem esse ait, ut incarnationem quoq; Domini nostri Iesu Christi fideliter credamus. Et LEO M. Ep. 10. (T. i. Conc. f. 349) aequalis esse periculi ait Dominum I. Christum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credere. Et ibid. Catholica Ecclesia Itac fide viuit & proficit, ut in Christo Iesu nec sine vera divinitate humanitas, nec sine vera creditor humanitate divinitas.

XV. Vera autem in Christo humanitas triplici probatur argumentorum genere: primum sumitur ex appellatio nibus: disertè enim appellatur homo Luc. 23. 47. 1. Tim. 2. 5. filius hominis, ps. 1n. 8. 5. Dan. 7. 13. Matth. 8. 20. & 16. 13. Act. 7. 57. Filio David, 2. Sam. 7. 12. Filio Marie, Matth. 1. 23. Semen Mulieris, Gen. 3. 15. semen Abrahæ. Heb. 2. 16. Ex patribus secundum carnem. Rom. 9. 5.

XVI. Secundum ex partibus hominis, quæ sunt essentiales & integrales: Essentialis sunt anima rationalis & corpus organicum: De anima testatur Scriptura, Matth. 20. 28 & 26. 36. psal. 16. 10. Luc. 23. 46. De corpore ejus extant testi-

monia, Matth. 27:57. Ioh. 2:21. & 20:12. & similia. Integrales partes sunt vel *similares*, ut caro, os, sanguis, vel *dissimilares*, ut manus, pedes, oculi, os, lingua, &c. quae omnia passim ipsi in scriptura tribuuntur.

XVII. Tertium argumentorum genus sumitur à proprijs hominis & operationibus, nec non infirmitatibus, quibus ob peccatum natura hominis est obnoxia, qualia sunt: proficere sapientia, atate & statuta, intelligere, velle, lequi, lacrymari, contristari, esurire, fitire, defatigari, dormitire, pati & mori: quae omnia Christo itidem scriptura tribuit. Unde ex Symbolo Athanasij concludimus, Christum non tantum perfectum esse Deum, sed & perfectum hominem ex anima rationali & humana carne subsistentem. Quod idem vult confessio nostra, dicens: *Verè Deus & verè homo.* Ethæc vera & constans est scripturæ & Ecclesiæ vox, de humana etiam Christi natura.

XVIII. Cur autem Mediator noster deberet simul Deus & homo esse, brevi aphorismo ostendit Anshelmus, in libro Cur Deus homo: Ideò videlicet, ut quod opus erat fieri ad hominum restitutionem, si humana non posset natura, faceret divina, & si divinæ minimè conveniret, exhiberet humana. Ut idem ipse per humanam solveret, quod ipsa debebat, & per divinam posset, quod expediebat. Sed de hac re plura dicentur, ubi de officio mediationis Christi agetur.

XIX. Contra humanam autem Christi naturam, varijs modis ab Hereticis quoq; pugnatum est. Et primo, Quidam humanam naturam prorsus negarunt, docentes filium Dei non verum corp<sup>o</sup> assumpisse, sed Phantasma illud seu spectrum fuisse, ipsam quoq; incarnationem, omnes actiones & passiones Christi inter homines conversantis, secundum apparētiām seu

seu phantasiam tantum fuisse. Talis opinio viguit etiam  
Ignatij tempore, & postea à Marcionitis & Manichaëis re-  
petita. Argumenta eorum erant:

- Lxx 8*  
*legi de simili-  
tudine carnis  
pecceatorum*
1. Angelis indigna visa fuit talis copulatio, Ergo multò magis divinae naturæ, quam adorant Angeli, etc.
  2. Angeli potuerunt sua ministeria in phantasimāte præstare, Ergo multò facilius filius Dei.
  3. Filius Dei tali specie apparuit Pariibus in V.T. Ergo etiam in Novo idem fieri potuit. Et Spiritus S. apparuit in specie columbæ, non tamē columbæ naturam assumptus.
  4. Allegant scripturæ dicta Rom. 8,3, ubi Paulus dicit Deum misisse filium suum in similitudine carnis peccati, nostra autem caro est caro peccati, Christus v. debuit esse sine peccato. Et Phil. 4,7. Dicit eum formam servi accepisse, in similitudine hominum factum, & schemati, i.e. habitu inventum ut hominem.

**XX.** Sed hunc errorem ipse Christus luculenter satis confutat, *Luc. 24:37. & seqq.* Cum enim discipuli expavescerent, putantes se spiritum videre, dixit eis: *Quid turbati estis, & quare cogitationes subeunt in corda vestra? videte manus meas & pedes meos, nam ego ipse sum: contrate me & videte; nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et in eundem ferè modum respondet dubitanti Thomæ, *Joh. 20:27.* *Infer, inquit, digitum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam. & mitte in latus meum, & ne sis incredulus sed credens.* Eleganter quoq; Epistola ad Hebræos, cap. 2: 14. *Quoniam igitur pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoq; consimiliter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium.* Ad Argumentum, de Spiritu S. in similitudine columbæ, respondet Augustinus de agone, cap. 22. Non veniebat Spiritus S. ad liberandas columbas, sicut Filius Dei carnem induit, ut carnem carne liberaret. Ad locum Rom. 8. Resp. breviter: 1. Non dici in similitudine carnis, sed carnis peccati, quia Christus erat sine peccato. 2. Di in similitudine carnis peccati, propter infirmitates, quæ ob peccatum naturam nostram comitari solent: Christus v. mise-

miferationis affectu, non conditionis necessitate infirmitates illas assumpsit. Ad locum Phil. 2. Resp. Paulum ibi hortari ad humilitatem, ab exemplo Christi & exinanitione Filij Dei, qui cum potuisset in assumpta natura, statim à momento conceptionis sive nativitatis, ostendere divinam suam gloriam & Majestatem, sicut fecit post ascensionem, ita ut nullis infirmitatibus subjectus fuisset, se ipsum tamen exinanivit, ita ut in infirmitatibus reliquis hominibus similis esset: Et hanc interpretationem confirmat locus Heb. 4, 15. Per illud enim *Schemati*, affectus ejus, gestus & totius vitæ actiones, quamdiu inter homines conversatus est, intelligitur. Neque Schema substantiæ veritatem tollit: Nam Phil. 3, 2. dicit Paulus, quod Christus in extremo die *metaschematise*, id est, transformabit corpus nostrum humile, non ut in spectrum redigatur, sed ut depositis infirmitatibus, conforme fiat corpori ejus glorioso. Et ita vocabulum apud prophanos scriptores accipitur. Xenoph. pæd. 5. quamvis, inquit, humili *schemati*, id est habitu, existeret. & Herodian. lib. 1. vir philosophi gerens *Schema*, id est habitum. Jucunda est hæc permutatio: Christus enim hic *schemati* inventus est ut nostrum aliquis, ibi verò nos erimus *schemati* sicut Christus in gloria, nisi quod ipse primus tecum in omnibus, Coll. 1:18.

XXI. Secundò *Valentiniani* olim & hodiè *Anabaptistæ* concedunt veram quidem carnem fuisse, quam Christus assumpsit, sed non *homousion* i.e. *consubstantialem carnis nostræ*: Christum enim corpus suum è cœlo secum attulisse, sive è cœlesti materiâ, sive elementari, sive ex ipsa essentiâ divinâ formatum: Ita ut omnino à nostris corporibus heterousion sit, i.e. diversæ essentiæ, *Argументa* eorum erant:

1. Non decere Divinam Maiestatem nostræ carni uniri, de qua dictum est Gen. 3:19. terra es & in terram converteris. Idem etiam Abraham indignum se iudicat colloquio Dei, quia pulvis est, Gen. 13:27. 2. Nostra natura peccatis est contaminata, immo est caro peccati: Rom. 8:3. Corpus peccati, Rom. 6:6. Quis potest, inquit Jobus cap. 14:4, facere mundum de immundo natum semine? Ergo per illam non potuit redemptoris opus perficere, debuit enim esse sine peccato, Esa. 53:9. 3. Ex 1. Cor. 15:47. Ilbi dicitur secundus homo i.e. Christus, coelestis de celo, sicuti primus homo i.e. Adam e terrâ. Et Joh. 6:62. dicitur Filius hominis ascendere ubi erat prius. Hisce & similibus conantur nobis eripere svavissimam illam consolacionem, ex salutari illa permutatione perceptam: Christus enim miseram nostram naturam accepit, sanctificavit, beavit, exaltavit & glorificavit: & rursus in Sacra Coena illâ suâ carne nobiscum se conjungit, ut hoc certissimo pignore, confirmemur de nostrâ salute & glorificatione, ut ait Chemnitius I. cit.

XXII. Argumentis ita occurri potest: Ad Primum, libenter concedimus inter divinam & humanam naturam, nullam esse dignitatis proportionem, quin agnoscimus & celebramus immensam charitatem & misericordiam Filij Dei, quod ad liberandum hominem non horruit virginis uterum, ut veteres sunt locuti. Ad Secundum Resp. quod Christus conceptus sit de Spiritu S. Spiritus S. inquit Gabriel, superveniet in te & ideo quod ex tenacetur anetum vocabitur Filius DEI, Luc. 1:33. non novit peccatum, 2. Cor. 5:21. Segregatus à peccatoribus, Heb. 7:26. per omnia similis fratribus, Heb. 2:17. Absq[ue] tamen peccato, cap. 4:15. Ad loca 1. Cor. 15: & Ioh. 6. Resp. Dici de celo descendisse & ibi fuisse prius non ratione humanæ naturæ, sed divinæ, ut id docetur in primo genere comm. idiomatum.

XXIII. Tertiò Docuit Arrius Filium Dei assumpsisse humanam quidem carnem, sed omnino inanimam, loco vero animæ vegetativæ, sensitivæ & rationalis fuisse alte-

9

alteram naturam, quò etiam referebat omnes affectus,  
quos Scriptura Christo tribuit, & inde quoq; arguebat  
*Verbum non fuisse naturā Deum.* Apollinaris vero in  
Laodicæa Episcopus (cujus lapsum non sine gemitu de-  
scribit Epiphanius in Chronicis) negavit in Christo ani-  
mam duntaxat rationalem, & ejus loco dixit fuisse di-  
vinitatem. Præcipuum ejus argumentum erat illud  
Joh. 1. Verbum caro factum est.

XXIV. Hisce, Scripturæ loca opponantur, quæ lo-  
quuntur de animâ Christi, thesi 16. à nobis citata: *Ve-  
nit Filius hominis dare animam suam: tristis est anima mea,:*  
*non derelinques animam meam: pono animam meam, & rur-  
sus sumo eam. &c.*

XXV. Quartò, Alij animam etiam rationalem  
Christo concedebat, sed negarunt essentialia seu natu-  
ralia idiomata humanæ naturæ, quare non duas sed *unam*  
tantum posuerunt in Christo intelligentiā, unam voluntatē,  
unam operationem: unde & Monothelita dicti sunt. Ar-  
gumenta Macarij & complicum ejus, colligi possunt ex  
actis sextæ Universalis synodi, quæ convocata est Con-  
stantinopoli circa annum Christi 680. quorum primaria  
serè hæc sunt.

1. Unus est in Christo intelligens, unus volens, unus  
operans, non duo, ergo nequæ duæ intelligentiæ, duæ voluntates, &c. nisi cum  
Nestorio Christum in duas partes distrahere velimus. 2. Quia in persona  
Christi nulla potest esse pugna, sicut in credentibus humana voluntas sæpe  
numero pugnat cum divina. 3. Quia in Christo humana natura est or-  
ganum divinitatis, quod ita movetur à principe agente, ut unum prorsus  
opus producatur, sic una est redemptio, una salvatio, una sanatio. 4. De-  
nisi; quia veteres dixerunt humanam naturam in Christo esse propter hypo-  
staticam unionem deificatam, idè putarunt omnium tam operationum,  
quam proprietatum utriusq; naturæ, factam esse exæquationem.

XXVI. Verum hæc & alia ejus generis, prolixè re-  
futantur in actis ejusdem concilij, præcipue ex hisce scrip-  
turæ testimonij: Joh. 5:30. non quero voluntatem meam,

animæ  
christi

Voluntas  
christi dicitur  
per hoc

*Sed e<sup>ius</sup> qui misit me. & cap. 6:38. descendit de cœlo, ut faciat in non voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Et Mar. 7:24. *surgens venit in partes Tyri, & ingressus domum, noluit aliquem scire, & non potuit latere, cum tamen ille sit, de quo dicitur: omnia quæcunq; voluit Dominus fecit, in cœlo & in terra.* Hæc sunt verba concilij, actione quartâ. Omnia autem clarissimè id patet ex lucta illa Christi, Matth. 26:39. Pater mi inquit, si possibile est, abeat à me poculum istud: verum tamen non ut ego volo, sed ut tu. Ubi expressè voluntatem suam, ut hominis, à voluntate Patris, id est divina, distingvit. Et idem quoq; de cœteris proprietatibus ut & operationibus est judicandum: quomodo enim dubium esse potest, quin iter facere, asinovelli, esurire, sitiare, edere, bibere, sanguinem sudare, Deum precari, & similia, opera sint non divinæ, sed humanæ naturæ propria: quæ omnia verbo comprehendit Paulus, ubi dicit eum Schemati id est habitu inventum ut hominem, & ad Heb. 2. per omnia fratribus similem.

**XXVII.** *Quintò, Alij integritatem humanæ naturæ concesserunt, sed negarunt eam infirmitatibus fuisse subjectam.* Argumenta eorum erant: 1. Non habuit peccatum, ergo nec poenam peccati. 2. Tota plenitudo divinitatis habitabat in eo, i.e. in massa illa humanæ naturæ, ergo passiones illæ non potuerunt in illo habere locum, nec in acerbissimis illis, quas Scriptura commemorat lacerationibus, ullum verum habuit doloris sensum. Sed sicut telum per aquam transiens, facit quidem distractionem, sine sensu tamen vulneris: Et ut rubigo non potest cadere in ferrum ignitum, ita neq; passiones in carnem deficiatam. Hæc sententia erat Hilarii, sed eam postea retrahavit. Multi præterea Patres, indignum arbitrii personam Filii Dei tantâ confectione afflicti, totam illam historiam agonis Christi in horto, ab Luca expulerunt.

*Infirmata p[ro]f. Christy sibi: XXVIII.* Verum hisce cogitationibus opponendum est totum illud c. 53. Esaiæ, verè langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, castigatio super ipsum, ut nos pacem habe-

11

habeamus. Posuit in ipsum Dominus iniquitatem omnium nostrum; & voluit eum conterere in infirmitate. Christus itaque cruciatus hos sustinuit, ut nos ab aeternis cruciatibus liberatos in aeterna gaudia transferret. Resp. itaque ad 1. Argum. quod sicut Pater in filium peccata mundi, ita & poenas peccatis debitas coniecit, totamque iram suam in illum effudit. Ad alterum Arg: Resp. potuisse Christum omnem sensum doloris ab assumpta natura avertire, sed potestatem suam tum noluisse exercere, quod videlicet humana natura potuisset pati, crucifigi & mori.

XXIX. Sexto, Coletus, Theologus quidam Academiae Oxoniensis, negavit Christum imminentem mortem exhorruisse, deprecatum esse fuisse, sed per calicem illum quem deprecatur, Judaeorum exitium, discipulorum scandalum, Hierosolymæ excidium, denique quidvis aliud intelligere maluit, quam mortem Christi. Argumenta ejus haec ferentur:

1. Si quo modo mortem detrectavit, aliquid detrahitur illius in nos charitati: si quacunque ratione noluit, derogatur absolutissimæ obedientiae neutrum autem competit in eum, qui fuit & amoris & obedientiae perfectissimum exemplar.
2. Martyres immanissimos cruciatus etiam gestientes exceptur, charitatis scilicet magnitudine doloris sensum absorbente. Præterea Moses potius habuit de libro vita deleri, quam populum interire. Paulus optavit anathema fieri pro fratribus. Multo minus consentaneum est, humani generis redemptorem, mortem quam tantopere sitierat, nunc imminentem reformidare.
3. Illustrium virorum adfert exempla, qui non dubitarunt viam suam patriæ salutis devovere, & pro ea fortissime occumbere; absurdum autem videtur Leonem de Iudea, id est mundi Salvatorem, non cunctanter modis, sed & timidissime mortem adire.
4. Et cur metueret, quod non solum malum non erat, sed fons omnium bonorum nostrorum, vita scilicet & salutis aeternæ, quæ in morte salvatoris deposita est.
5. Neque etiam tribendi sunt Christo affectus, quibus nos potissimum ad peccandum sollicitamur.
6. Denique non videtur eiusdem hominis vocem esse: vade retro Satana, calicem quem dedit mihi Pater nonne bibam eum? & hanc: si fieri potest transeat a me calix iste.
- Et sic etiam Patres hanc locum exposuisse, ait: Hieronimum enim dixisse refert: Erubescant qui putant Salvatorem timuisse mortem

mortem, & passionis pavore dixisse, transeat à me calix iste: dispiet...  
quod nemo ferè non dixit, J E S U M propter assumptum hominem, infir-  
mitate reformidasse mortem naturā acerbam. Et Hilarium: Stultitia est  
si quis dicat Christum suum ipsius mortem reformidasse.

**XXX.** Huic Coletō sese opposuit Erasmus Rote-  
rodamus, adversus quem elegantem etiam, **de Tædio**  
& **Pavore Christi**, conscripsit disputationem, & con-  
trā contendit, Christum verè tæduisse, verè pavisse, con-  
tristatum esse, sudsare, mortem deprecatum esse, & hoc  
nihil vel charitati ejus in nos, vel obedientiæ erga Pa-  
trem, vel fortitudini derogare, neq; alijs scripturæ lo-  
cis contrariari. Nec quid hic vel ille Patrum dixerit,  
multum se morari, cum constet plures, imò allegatum.  
Hieronymum ex aliorum sententiâ ista protulisse, cœ-  
terum alibi contrarium docuisse. Hilarium autem  
sententiam illam postea retractasse. Ejus vero assertio,  
hisce potissimum fundamentis nititur. 1. Quod claris-  
sima sint Salvatoris verba, nec sine summa impudentia  
aliorū torqueri possint, Pater si possibile est, &c. Tristis est ani-  
ma mea usq; ad mortem; & similia. Deinde cum non tan-  
tum duas tribuamus Christo naturas, sed duas etiam vo-  
luntates, easq; etiā dissidentes, ut quod altera noluerit, al-  
tera voluerit, ita ut Ecclesia hæreſeos damnarit aliter sen-  
tientes, cur ergo verebimur Christo, quò ad assumptam  
naturam, tristitiam & mortis reformatiōnē tribue-  
re? Sicut enim ex assumptæ conditionis imbecillitate  
mortem vicinam horruit, ita ope divinâ & virtute obe-  
dientiæ constantē eandem suscepit. Præterea Filius  
D E I humanam naturam assumendo, hominis quoq;  
conditionem plurimis nostris malis obnoxiam assump-  
xit, mala vero non culpæ sed poenæ, & de his quantum  
nobis expediebat, & quatenus illius dignitati non dero-  
gabat

gabat, h. e. ea duntaxat, quæ communem hominis lapsi conditionem generaliter consequuntur, ab ijs verò quæ sigillatim nobis accident, abstinuit: qualia sunt morbi, vitia membrorum, vitia mentis, deformitas & similia. Chemnitius distingvit inter *infirmitates naturales & personales*, illas dicit eum suscepisse, ab his, quæ & dedecebant ejus dignitatem, nec ad nostram salutem quicquam habitura fuissent momenti, abstinuisse. Deniq; & hanc adducit rationem, *Tria esse*, quæ reformidationem debeat exagerare: *Precium boni quod leditur, magnitudo mali quod in gruit, & utriusq; cognitio.* At quomodo conferri potest nostri plasmatis vilitas, cum ejus præstantia? aut nostra mortis acerbitas, cum ejus suppicio? aut noster incertus metus, cum ejus certissima prospiciencia? nam sicut corpus Christi infinitis partibus est præstantius corporibus nostris, ita omnes sensus in illo sunt multò acerrimi: & nos hoc minus mortem reformidamus, quo minus quam sit acerba cognoscimus; ille verò mortem perinde atq; oculis subjectam prospiciebat, & omnes cruciatus perfectissimè præsentiebat. Hisce & alijs rationibus, Coleti argumenta prolixè & solidè confutat, nos vitanda prolixitatis gratiā lectorem eò remittimus, præsertim cum fundamenta hic posita sint veræ confutationis.

*XXXI. Eutyches Nestorianæ hæresi, quæ personam distrahebat, se nimis opponens, naturas prorsus confundere cœpit, docens humanam naturam, per unionem in divinitatem penitus esse absorptam: dixit ante unionem duas q; dem fuisse naturas, post eam verò unam tantum agnoscet: negabat etiam corpus Domini nobis esse consubstantiale. Alij finxerunt Christum in i.*

*Eutyches*

psa ascensione tabernaculum corporis sui deposuisse, &  
aliij aliud sunt commenti.

XXXII. Scriptura v. & orthodoxa Ecclesia, contrarium docent, ante videlicet unionem, unam tantum fuisse naturam, divinam scilicet, post v. eam duas, easque; etiam post ascensionem mansisse, de qua re amplius dicendum erit in pr. gen. comm. idiom. Et tantum de duabus naturis.

## SECUNDUM MEMBRUM

De unione Personalis.

XXXIII. Hactenus ex Scriptura S. ostendimus duas in Christo esse naturas, divinam & humanam, sed non hoc ad salutem satis est scire & credere, nisi pariter sciamus credamusque; duas illas naturas personaliter in Christo esse unitas, ita ut una & eadem sit persona constans duabus illis naturis, ac subsistens in duabus naturis. Quod ut firmam fide teneamus, semper in conspectu habenda sunt principia Scripturæ testimonia quæ id ipsum evincunt. Quamvis itaque diversæ sint & maneant in Christo duæ istæ naturæ, Scriptura tamen non duos sed unum dicit esse Dominum Iesum Christum, 1. Cor. 8:6, unum esse Christum qui pro omnibus mortuus est, 2. Cor. 5:14, unum esse mediatorem Dei & hominum, 1. Tim. 2:5. Filium Mariæ esse filium Altissimi, Luc. 1, 31. & 32. Quod ex Maria nascetur sanctum vocari filium Dei, v. 33. Filium hominis esse filium Dei viventis, Matth. 10:13, & 16. Filium Virginis vocari Emmanuel, Isa. 7:14. Germen Davidis vocari Iehovah, Ier. 23:5, & 6. Christum ex Patribus esse secundum carnem & eundem esse Deum laudandum in secula, Rom. 9:5. Deum conspicuum factum esse in carne, 1. Tim. 3:16. Deum sanguine redemisse Ecclesiam, Act. 20:28. Dominum gloriae esse crucifixum,

¶ Cor.

Chrysostomus  
Vetus

1. Cor. 2:8. Author em *vile esse trucidatum*, Act. 3:15. Hæc sunt immota fundamenta super quibus extruitur hæc doctrina de Unione Personalis duarum in Christo naturarum, & hinc Athanasius in Symbolo: *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen sed unus est Christus.* Et Confessio nostra: *Unus Christus verè Deus & verè homo.*

XXXIV. Expeditâ Quæstione *An sit*, nunc porrò *quid sit* Unio Personalis, id est quomodo naturæ istæ in Christo unitæ sint, dispiciendum nobis erit.

XXXV. Unionem Personalem in hunc modum describit August: Confessio: *Quod Verbum, id est, Filius Dei assumperit humanam naturam in ute-*  
*ro Beatæ Mariæ Virginis, ut sint duæ naturæ, di-*  
*vina & humana, in unitate personæ inseparabili-*  
*ter conjunctæ.* Definitum est *Unio Personalis.* Verum cum unionis vocabulum generale sit: significat enim conjunctionem duarum vel plurium rerum, ut ex ijs unum quoddam constituatur, notabo *varios unionis modos*, quos ex veteribus collegit B. Chemnitius de D. N. cap. 7.

XXXVI. Primò itaq; fit unio per partium corruptiōnem, quando ex ijs mixtum aliquod generatur. 2. Per alterius partis conversionem, ut quando modicum aquæ multo vino miscetur. 3. Per confusioneñ seu mixtioneñ, ut cum vel duo humores inter se miscentur, sicut ex aqua & melle fit mulsum: vel cum humidum sicco miscetur, ut aqua cum farinâ: vel cum ex cera & pice fit unguentum. 4. Per coacervationem, ut cum diversa semina in unum cumulum coacervantur. 5. Per appositionem, ut cum duo afferes compinguntur. 6. Ratione

dignitatis, sicut Nestorius finxit Deum homini donasse, æqualitatem tantum dignitatis, autoritatis, potestatis & appellationis, & nihilominus manere diversas subsistentias. 7. Ratione consensus & voluntatis, sicut credentium erat cor unum & anima una. 8. Per gratiam, sicut credentes unum sunt cum Deo. 9. Per apparentiam, ut in spectris. 10. est unio Personalis sed accidentaliter, ut cum S. Sanctus ut peculiaris persona, conjungit se cum Paulo, qui alia est persona. 11. Substantialis, ut inter personas Trinitatis. 12. Carnalis, ut mariti & uxoris, qui sunt caro una. 13. Spiritualis, ut inter credentes. 14. Essentialis seu naturalis, ut animæ & corporis. His addatur, 15. Unio per intimam perichoreſin, id est, permeationem seu penetrationem, qualis est ferri & ignis. Et quamvis postremi duo unionis modi, quam maximè ad hypostaticam unionem declarandam quadrant, & ideo Sancti Patres, in explicatione hujus mysterij, iſdem libenter utuntur: in singulis tamen permagna est discrepancia, ut id ostendit Chemnitius, & ex collatione facile liquet.

*vane by  
modotu p̄t  
gratia dñi in  
Croatia*

**XXXVII.** Utilis etiam erit collatio aliorum modorum præsentiae & inhabitacionis Dei in creaturis, ad hypostaticam hanc unionem. Nam aliter Deus replet omnia in coelo & in terra, Esa.66. Act.17. & Psal.139. Et aliter inhabitat per gratiam in Sanctis, 2. Cor.6. & Iob.14. Aliter in Prophetis & Apostolis per quos veluti organa multa operatus est. Aliter in beatis in futura vita, ubi Deus erit omnia in omnibus, 1. Cor.15. Aliter quando in visibili seu externâ specie, invisibilis divinitatis suæ præsentiam exhibet, ut in forma viri, Gen.32. & alibi. Aliter deniq; in ministerio Verbi & S. Cœna. Sed horum modorum omnium, si conferantur ad hypostaticam unionem, magna

17

magna est differentia, quia per nullum istorum modorum, Deus cum re cui unitur unam constituit personam seu suppositum, sicut Divina Christi natura, humanæ naturæ unita, unam constituit personam.

**XXXVIII.** Dicitur Unio Personalis alias *ensarcosis*, id est, *incarnatio*, quâ appellatione ab Irenæo acceptâ tota posteritas postea frequenter usâ est, quod ad phrasin Scripturæ apprimè conveniat, ut *Ioh. 1:14*. Verbum *caro factum est*, & *Heb. 2:14*. particeps factus est *carnis & sanguinis*. Ignatius vocat *enanthropesin* quasi *inhumanationem dicas*. Item *ensomatism*, quod Latinè reddi potest *incorporatio*, ab illo, *Coll. 2*. sumptâ appellatione, ubi Paulus dicit totam plenitudinem divinitatis habitare in Christo *somaticoos*, id est corporaliter. Habent etiam ex Ignatio vocabulum *Oeconomias* ut initio dictum est, quæ appellatio apud Græcos facta est usitissima, quæ sumpta videtur ex *Eph. 1:10*. Oeconomiam autem hanc, ex collatione Christi & Mosis, prolixè explicat Epistola ad Hebræos cap. 3: 6, & seqq. Dicitur autem *Oeconomia* seu dispensatio, 1. Cum Deus nobiscum condescendit, id est demittit se ad nostrum captum, ut cum Majestas divina demisit se ad unionem cum misera nostra natura. Item cum in assumptâ naturâ & in statu exinanitionis, se non exeruit. Item cum Deus in carne est passus & mortuus. Item, quod post resurrectionem nemi comedit. 2. Quando potentia Dei in creaturis supra vel contra communem ordinem aliquid facit, ut cum natura humana exaltatur supra omnes Angelos: caro Christi fit vivifica: habet potentiam Verbi sibi communicatam: item cum utraq; natura agit cum communicatione alterius. *Hec omnia Veteres vocarunt Oeconomiam.*

**XXXIX.** Genus quod hic brevitatis causa omissum est,

10

ex aliorum definitionibus ponimus Actionem Dei, id est totius Trinitatis: Est enim opus Dei ad extra, adeoq; indivisum, ut loquuntur, h. e. ad singulas pertinens Trinitatis personas<sup>2</sup>. Sed obijcies, hinc sequi totam Trinitatem esse incarnatam. Resp. in incarnatione duo species n<sup>o</sup> i In Canticari debere, productionem humanae natura, ejusq; cum persona natu<sup>2</sup> Verbi unionem, quæ op<sup>9</sup> est toti<sup>9</sup> Trinitatis, ut patet, Luc. 1:35. & Matth. 1:20. Et Assumptionem naturæ illius, quæ soli Filio competit: is n. non tantū produxit naturam illam, una cum Patre & S. Sancto; sed illam insuper assumpsit, impertiendo ipsi propriam subsistentiam, qd nec Pater effici fecit nec S. Sanctus. Unde ratione efficientie, op<sup>9</sup> est ad extra & totius Trinitatis: ratione termini verò seu ejus ad qd a Comm<sup>3</sup> illa terminatur, opus est ad intra, & solius Filii: hic en. sol<sup>9</sup> carnem illam induit, quā tota Trinitas produxit.

*Cur vtrku  
Tocet*

**XL.** Hisce præmissis, verba Confessionis quibus Unio hæc Personalis describitur, nunc ponderemus. Verbum inquit, h. e. Filius Dei assumpsit humanam naturam. Per Verbum itaq; intelligit Filium Dei seu secundam personam Trinitatis, non Patrem, nec S. Sanctum, sicuti Sabelliani finxerunt, qui sublato personarum discrimine, totam Trinitatem incarnatam esse, nullo scripturaræ suffragio, statuerunt.

**XLI.** Verbi v. appellatio Filio Dei ideo convenire videtur, Primò, quod ipse sit Sapientia Patris, 1. Cor. 1, 24. & Character seu expressa imago substantiae ejus: unde quidam ex patribus dicunt Filium ex mente Patris procedere. Secundò, quod is qui est sapientia Patris, mentem Patris, nobis enarravit, Ioh. 1, 18. Priori modo repræsentat verbum internum: posteriori externum. Ubi considerandum est, Filium Dei posteriori acceptione non nisi secundario & respectu ad homines verbum appellari: nam S. Sanctus quo-

19

quoq; mentem Patris nobis exponit, *Ioh. 14, 26.* nusquam tamen verbum in scriptura appellatur: sicut quoq; Christus non ideo Filius dicitur, quod nos filios Dei faciat, sed propriè & per se ideo, quod à Patre sit genitus. *Tertio,* Quod omnia per ipsum facta sint: nam quod Moses dicit, *Gen. 1, 3.* *Dixit Deus, fiat lux, & fuit lux, v. 6.* *Dixit Deus fiat expansio, &c;* Et Psalmista, *Psal. 148, 5.* ipse dicit & facta sunt; id Psalmus 33: ita effert: *Verbo Domini cœli facti sunt, & Joh. per ipsum (Verbum) omnia facta sunt.*

*XLII.* Tales cogitationes ex S. Patribus de prompta sunt: Nazianzenus enim ita dicit *Orat. 2. de Filio:* Logos dicitur Christus, quod ea sit ipsius ad Patrem ratio, quæ sermonis ad mentem. Basilus quoq; homil. super in princ. erat verbum: Filius Dei cur verbum? ut quod ex mente procedit ostendat. Cur verbum? quoniam sine motu genitum est. Cur verbum? Quoniam figura generantis (generati esset vertendum) totum in se monstrat generantem, quemadmodum ferè verbum nostrum, quod totam nostrâ cognitionis imaginem refert. Cyrus etiam *I. 1.* Thesauri, c. 7. sicut verbum, inquit, quo utimur, ex mente prodit: idem enim est cum verbo quod in corde versatur, quamvis aliud esse videatur in quantum q. à profundo in lucem per os emittitur: sicut, inquam, verbum quo utimur, & quod in corde est, in mente est, & ex mente prodit, etiam si taceamus: sic & Filius Dei, indivisibiliter ex Patre prodiens, character & similitudo eius est. Ita illi. Unde constat, quod sicut Filius dicitur respectu paternæ generationis, ita i verbum, appelletur relatione ad mentem seu intellectum Patris: Verbum enim ad mentem refertur..

*XLIII.* Hæ Patrum fuere super hanc re cogitationes: Verum aliam adhuc rationem nobis suggerit Matthias Flac. Illyricus. Nomen enim illud tetragrammaton *Iehovah*, si etymon respicias, rectissimè redditur ero ut Deus *Exod. 3, 14.* *Ero misit me ad vos.* Hoc nomen est i. p̄ius Dei, & præsertim Filij, qui cum Patribus in deserto locutus est, *1. Cor. 10.* quâ appellatione testatur se fore benedictum illud semen, id est mundi servatorem toties

20

promissum. Et cum hæc vox summum contineat mysterium, ideo neq; Rabbini neq; Paraphrastes Chaldaeus, illam ad verbum vertere voluerunt, sed illi reddiderunt *Schim, id est nomen, hic memar, id est verbum.* Neq; hoc tantum, quin & vocem istam *memar*, Chaldaeus tribuit Messiaë, etiam ubi Jehovah in Hebræo non habetur; ut testatur Psalmus 110. qui vel primarius est eorum qui de Messia agunt: nam ubi Hebræus habet, *neym Iehovah la-doni, dixit Dominus Domino meo;* vertit Chaldaeus, *dixit Dominus ipsi memar, id est verbo,* sede à dextris meis &c. Et hinc secunda Persona seu Filius Dei etiam in N.T. coepit vocari *Logos* seu *verbum.* Vide hac de re Flacium in Tractatu de nomine *Iehovah* secundæ parti Clavis adjuncto. Item in parte prima ad vocem *memar.* Item in glossa super cap. 1. Johannis.

**XLIV.** Hinc etiam constat, Græcam dictionem, *Logos*, rectius reddi per *Verbum*, quam juxta Bezan per *Sermonem*. Patet id 1. Quia vox Chaldæa verbum denotat, non sermonem seu orationem. 2. Quia tetragrammaton illud, unde Chaldaum memar sumptum est, verbum seu **vox** quædam est, non integer sermo. 3. Quia voce illa res unica denotatur, cui verbum potius convenit, quam sermo. 4. Quia illa Bezae translatio errandi occasionem præbere potest, ut cum Samosateno & Serveto, per Logon seu sermonem, non secundam personam Trinitatis intelligamus, sed doctrinam seu patefactionem; Verum cum quis audit *verbum fuisse ab initio*, mox cogitat mirabile & mysticum quoddam verbum esse. Unde etiam Johannes Capnio elegantissimo libro suo, quo per colloquium mysterium hocce pandit, titulum fecit *de Verbo mirifico*, & indidem præclaræ quoq; hujus vocis explicationes peti possunt.

21.

XLV. Deinde dicit, Quod verbum assumpserit  
humana naturam, id est eam sibi personaliter uni-  
verit, ubi rursus Scripturæ phrasin imitatur: nam Hebr.  
2:16, dicitur Semen Abrahæ assumpsisse. Et Phil.2:7, for-  
mam servi acepsisse. Unionem itaq; hanc assumptionis  
vocabulo exprimere voluit, idq; ob has seqq. causas: 1  
Ne Fili⁹ Dei putaretur in hum. naturam esse mutat⁹. 2. Ut  
ostenderet humanam Christi naturam, non accidenta-  
liter, sed substantialiter divinæ naturæ esse unitam: nam  
cum Deus per gratiam habitat in fidelibus, non dicitur  
illorum naturam assumere, sicut eam naturam assump-  
psit, in qua tota plenitudo divinitatis habitat corporaliter,  
*Coll. 2:9.*

XLVI. Porro cum omnis unio sit inter duo, alteram  
nominat q. compositi partem, humanam naturam. Filius  
enim Dei non tantum corpus nostrum assumpsit, ut vo-  
luit Arrius, sed corpus & animam: nec eam tantum vi-  
ventem & sentientem, ut placuit Apollinari, sed ratio-  
nalem, sicut utrumq; suprà est demonstratum. Maluit  
autem Confessio humanam naturam, quam hominem  
dicere, (quamvis apud S. Patres, posterior locutio non  
infrequens sit) quia Verbum non assumpsit hominem,  
propriâ subsistentiâ subsistentem, sed humana natura,  
propriâ subsistentiâ caro<sup>en</sup>, recepta est in hypostasin  
Verbi. Assumpsit itaq; humanam naturam, non antea  
creatam, sed assumendo eam creavit, & creando eam  
assumpsit.

XLVII. Atq; hæc fuit exegesis in verba illa, Verbum,  
assumpsit humanam naturam: Nunc illustrem illam pro-  
positionem expendamus, quam Joh. Evangelista hoc my-  
sterium exponit, qui cap. 1. sic dicit: Verbum caro

D

factum

factum est. Ubi unio hæc describitur per verbum e-  
geneto, quam phrasin imitatur & Paulus, Rom. 1:3. Gal. 4:4.  
Phil. 2:7. non quod facta sit Verbi in carnem mutatio seu  
conversio, sicut ea quæ vel naturaliter mutantur, ut cum  
non nūn facta ex aëre fit aqua: vel per miraculum, ut cum aqua facta  
est vinum, Ioh. 2:9. sed sicut Paulus phrasin, Phil. 2. in si-  
militudine hominum factus, interpretatur per formam servi  
accipere. Et Epist. ad Heb. 2:14, & 16. illud factum est, per  
tria significantissima verba exponit, primum est communi-  
care carni & sanguini, id est carnem & sanguinem in com-  
munionem & consortium accipere. Secundum est, par-  
ticipem fieri carnis & sanguinis, eo scil. modo quo pueri, ad  
quorum substantiam caro & sanguis pertinent. Terti-  
um est, assumere Semen Abrahæ, ita videlicet, ut per omnia  
fratribus assimiletur. v. 17. Illustris etiam phrasis hujus ex-  
plicatio haberè potest ex loco illo, 1. Cor. 15:45. nam sicut  
primus homo Adams factus est in animam viventem, non con-  
versione carnis in spiritum, sed unione corporis & ani-  
mæ: Ita secundus homo factus est in spiritum vivificantem,,  
id est in Deum, non conversione humanitatis in divini-  
tatem, sed per unionem duarum naturarum hypostati-  
cam. Carnem vero hic intelligimus, non animâ rationa-  
li destitutam, ut voluit Apollinaris, nedum prorsus inani-  
mam, ut Arrius, sed veram & integrum hominis naturam,  
ut suprà id ostendimus". Plures hypostaticæ unionis  
descriptions, ex Scripturâ & antiquitate depromptas,  
vid. apud Chenn. lib. cit. cap. 9.

XLVIII. Unde autem illam assumpsit? non de cœ-  
lio, ut somniarunt Valentianiani; sed in Utero Mariæ,  
adeoque nobis consubstantiale. Pulcherrimo autem  
elogio eam ornat beatam vocans seu sanctam, non quod  
libera

Uero  
in Utero  
Mariæ

23

libera sit à peccato originali ut nugantur pontificij, sed  
ideo benedicta est inter mulieres, quia benedictus fructus ven-  
tris ejus, *Luc. 1:42.* & quia Mater facta est Fili⁹ Dei, ideo eam  
beatam prædicant omnes generationes, *v. 48.* Inde & mulier  
apud *Luc. 1:27.* exclamat: *beatus venter qui te portavit,*  
*& ubera que fuxisti.* Sed verè beata erat, quia credidit, *Luc. 1.*

Virginem præterea vocat, quia non ex virili semine,  
secundum communem naturæ cursum conceptus est  
Salvator noster, ut & olim & hodiè blasphemant Judæi;  
Sed de *S. Sancto*, ut testatur Gabriel, *Luc. 1:35.* *S. Sanctus* su-  
perveniet in te, *& Matth. 1:28.* dicit eam desponsatam fuisse Io-  
sepho, sed antequam convenienter, inventa est uterum ferre ē  
*S. Sancto.* Atq; sic completa est Prophetia *Esaiae*, cap. 7.  
Ecce virgo pariet. *S. Irenaeus* ostendit virginitatem pari-  
entis Mariae adumbratam fuisse in *V. T.* to perlapidem,  
sine manibus excisum lib. 3. cap. 28. & per virgam Mosis  
cap. 29. nec non prophetiam Hieremiae de Jechonia,  
cap. 22: Scribe virum illum orbum. Et *Basilius* in sermo-  
ne, de humana Christi generatione dicit. Certa se tradi-  
tione habere, Zachariam ideo inter Templum & Altare à Judæis esse truci-  
datum, quod rem prodigiam inauditamq; prædicaret, virginem videlicet  
parientem circa virginitatis corruptionem.

*XLIX.* Sed cum ex virginе nasci voluerit, cur de-  
sponsata est viro? *Basilius l. cit.* præter alias, præcipue  
has adfert causas. *i.* Ut non tantum virginitas in honore haberetur, sed  
& nuptiæ consecrarentur. Deinde, ut Joseph domesticus familiarisq; Ma-  
riae, parientis testis assit, & ne calumniantibus foret obnoxia, quasi virgini-  
tatem commaculans, sponsum haberet vita sancta custodem.

*L.* Nec tantum in conceptione & partu virgo man-  
dit, sed & postea virginitatem integrē & illibate custodi-  
vit. Et *Helvidium* ideo vetus Ecclesia damnavit hære-  
seos, quod contenderet Mariam post Christum alios et-  
iam filios de viro suo peperisse, ut testatur *Augustinus*

*gfebdij  
erit*

*donec  
priusquam*

*primogenit  
sunt*

de Hæresibus ad Quod vult Deum, cap. 84. Argumenta.  
 Helvidij erant, ut ea ex Hieronymo recenset Chemnitius  
 in Harmonia: 1. Si gravida inventa est priusquam convenienter: ergo postea congressi sunt. 2. Si non cognovit eam donec peperit: ergo post partum cognovit eam. 3. Si Christus est primogenitus Mariæ: ergo oportet ipsum habere plures fratres. Sed facilis est responsio, nam particulae donec, priusquam, sæpen numero ita negant præteritnm, ut tamen non ponant futurum: patet id Gen. 8: 7. non rediit corvus donec siccata esset terra. 1. Sam. 15: 35. non vidit Samuel ultra Saulem usq; ad diem mortis sua. 2. Reg. 6: 23. Michol non habuit filium, usq; ad diem mortis sue. Hieronymus hoc uititur exemplo: *Helvidius priusquam partientiam ageret, morte preventus est.* Credimus itaq; natum, esse Deum per genitalia virginis (verba sunt Hieronymi) quia legimus: Mariam post partum aut cum Ioseph concubuisse, aut filios ex eo sustulisse, non credimus, quia non legimus. Ad 3. arg. resp. non primogenitum vocari post quem cæteri nati sunt, sed ante quem alius non est natus, id est qui vulnus aperit. Exod. 13: 2.

LI. Quæritur hic, num perpetua Mariæ virginitas sit articulus fidei? nam Pontificij id acerrimè propugnant, quo scil. scripturam insufficientæ convincant, cum quidam articulus fidei verbo Dei scripto non contineatur. Primarium eorum argumentum est, quod Helvidius & Antidicomaritæ ideo hæreos sint damnati, quod contrarium statuerint. Rectius tamen procul dubio ex sententiâ S. Basiliij id dogma de fide esse statuimus, quam articulum fidei propriè sic dictum: & contrariam opinionem errorem potius quam hæresin haberi. Verba Basilij ex versione Volaterrani sic habent: *Hoc suspicionem quandam mentibus inferre videtur, ne post sacrum dominice generationis mysterium Maria operanu-*

ptis convenientia minimè negarit, Nos autem hunc locum sa-  
tis consolationis habere existimamus, si legamus: eam non novit,  
usq; quo pareret. Ponatur sanè (sicut de Patrum conser-  
sum magnoperè sibi gratulantur Pontificij) esse articulum  
fidei, num ideo quod volunt obtinebunt? minimè:  
nam illi ipsi Patres perpetuam Mariæ virginitatem, si  
non unicè, præcipue tamen ex scriptura defendunt, si-  
cū ex illo Hieronymi dicto patet, & loco suo id ostendetur copiosius.

LII. Cum hic mentio fiat B. Mariæ virginis, non inconveniens fuerit hoc loco ostendere, per quos majo-  
res Maria, unde Christus carnem acceperat, genus suum  
a Davide ducat, quo manifestum evadat Messiam no-  
strum juxta promissiones, non tantum de semine Abra-  
ham, & tribu Juda, sed etiam de domo & familia Davidis  
exortum esse. Verum cum hæc res ob magnas quibus  
involuta est difficultates vix paucis pagellis expediri  
possit, reservamus eam peculiari disputationi: verbo ta-  
men mentem nostram de genealogia Christi hic expo-  
nimus, quod Christus à Davide (nam de superioribus  
nulla est controversia) per Nathanem Salomonis ger-  
manum fratrem, recto tramite descendendo usq; ad Ma-  
riam filiam Eli seu Joachim, matrem Christi, per natu-  
rales generationes, sine ulla legali filiatione, ut loquun-  
tur, genus suum ducat. Sed de eo nunc disputare, non  
est nostri institutum.

LIII. Ad historiam nativitatis Christi pertinent,  
etiam circumstantiae temporis & loci, Non autem facta est,  
incarnatio statim in principio mundi, cum in remediu-  
m lapsus ordinata sit. Neq; statim à lapsu: nam 1. præ-  
dicti ac præfigurari prius oportuit tantum mysterium, ut  
postmodum majori veneratione exciperetur. 2. Præ-

parandi prius homines erant per legem, ut agnita miseria sua medicum quererent. 3. ut manifestaretur prius ira Dei adversus peccatum, ut factum est in universalis diluvio & saepius. Nec dilata tamen fuit ad mundi finem, alioquin omnis Dei agnitus & reverentia prorsus interieret, quae etiam sic sub adventu Christi prope modum fuit abolita; sed postquam venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, ut inquit Paulus, Gal. 4:4. h. e. cum tempus a Deo præfinitum nunc adesset. Cum videlicet sceptrum de Iuda jam fuisse ablatum, & 70. Danielis hebdomade ad exitum decurrerent, Anno scilicet à promulgatione primæ promissionis protoplastis factæ de semine mulieris contrituro caput serpentis, juxta Lutheri sententiam, quam etiam Philippus sequitur, 3962. vel juxta supputationem Bucholzeri, quæ etiam in margine Bibliorum Svecicorum annotata est, quam nostri quoque; translatores imitati sunt, 3971. vel denique; juxta accuratissimum calculum Sethi Calvisij, quem Helvicus quoque; in Theatro suo sequitur, & approbat nostrâ aetate plerique; eruditii, 3947. finiente, a Diluvio 2292. A nativitate Abrahami, 2000. A data circumcisione, 1900. Ab exitu ex Aegypto 1490. Ab ædificatione templi, 1016. A solutâ captivitate, 529. initio sexagesimæ sextæ sept. Danielis juxta sententiam Funcij. Ab ultimo Duce ex domo Davidis, 164. Urbis conditæ 751. Tertio anno Olympiadis 194. Anno imperij Cæsaris Octaviani Augusti 42. Regni Herodis juxta eundem Sethum, 38. paulò ante ejus obitum.

LIV. Lucas Augusti mentionem facit, & census per universum terrarum orbem acti, ut ostenderet Monarchiam tunc super universum orbem fuisse confirmatam, juxta vaticinum Danielis, cap. 2. Matthæus vero

Herodis

77

Herodis facit mentionem, ut ostendat sceptrum è Iuda  
prosul essè sublatum juxta prædictionem Jacobi, Gen.  
42. Mansit autem in tribu Iuda & familia David sceptrum  
Regale, usq; ad Jechoniam, qui in captivitatem abductus  
est, 2. Reg. 24:15. Post captivitatem vero sceptrum ducale  
(quod Ezechiel cap. 21:26. Cidarim vocat, quæ in coro-  
næ locum successit, de quo videatur Chiemn. in Harm.  
Evang. part. 1. c.3. p. 46.) usq; ad Janneum Hyrcanum,  
qui apud Lucam quartus ab Eliponitur. Deinde vero,  
Reipub. Judaicæ administratione ad Macchabæos (Phi-  
lo & Josephus Asmonæos vocant) translatâ, stirps illa-  
Nathanis privatam & pauperem egit vitam per 60. an-  
nos, donec scil. veniret cui cidaris & corona jure debebatur, ut  
dicit cit. cap. Ezech. v. 27. & innuit Gabriel dicens: da-  
bit ei Dominus Deus, sedem Patris sui Davidis, & reg-  
nabit super dominum Jacob in æternum, Luc. 1:32.

LV. Cessavit itaq; in domo David & Linea Messiae  
aliquot annis ante adventum Christi regnum sive du-  
catus, & Jannei posteritas in paupertatem redacta, in  
Galileam habitatum detrusa est. Et huic rei consonant  
verba Prophetarum (ut ait Jacobus Act. 15:15.) sicut scriptum  
est (apud Amos. videl. 9:11.) Post hæc revertar & readificabo  
tibernaculum David' collapsum & ruinas ejus readificabo, ac  
rurus erigam illud. Et Ezech. 17:22. dicit, quod stirps illa  
Davidis, quando surculus benedictus inde erat prodi-  
tus, non deberet florere dignitate & potentia Regiæ, sed  
humilis & abjecta esse; verba ejus sunt: Sic dicit Domi-  
nus Iehovah, tollam ego de summitate Cedri illius sublimis, h.e.  
Iunio interprete, de reliquis stirpis regiæ, ex qua fuit  
Zorobabel, de summitate tenerorum ramorum ejus tenellum  
decepens, plantabo super montem altum & agustum, in monte  
celitudinis Israelis plantabo eum, i.e. in Ecclesia.

**LVI.** Quæritur autem hic cur sceptrum aliquot ante natum Christum annis ablatum fuit? Hujus rei duas causas reddit Chemnitius, i. ut monerentur pii instare nunc tempus Messiae, ac excitaretur ardenter ejus desiderium. Deinde ut hinc quoq; cominonefierent, quale futurum esset regnum Christi, non mundanum, potentia, opibus & dignitate conspicuum, sed contemptum, vile & abjectum coram mundo.

**LVII.** Temporibus hæc circumstantia egregiè fidem nostram confirmat, quod promissus mundi Salvator, jam diu, id est ante annos (juxta æram Chr. vulgatam.) 1648. verè sit exhibitus: nam inde à sublato ducali sceptro de domo Juda usq; ad Vespasianum & Adrianum. Imp. publica semper fama fuit, non tantum inter Iudæos, sed etiam inter gentes Regem quendam exoritum, qui orbis imperio potiretur, sicut de Iudæis testatur *Paulus Orosius*, lib. 7. c. 9. *Iudei*, inquit, cum omnibus undis malis circumvenirentur, quidam in Carmelum montem seducti sortibus, que portenderent exortos à Iudea duces, rerum potituros fore, bellum ad se trahentes, in rebellionem exarserunt. Et Chemn. in Harm. ex Cic. l. 2. de Divinat. narrat, in Sybillæ libris inventum fuisse, futuram circa illa tempora Regem, qui ab omnibus Rex & agnoscendus & vocandus foret, si salvi essem vellent. Et sententia illa ex folijs Sybillæ, illis temporibus adeo nota & vulgata erat, ut & *Virgilii* peculiari *Eccloga*, quæ etiam pueris nota est, eam exponere voluerit. *Sybille* autem vaticinia adhuc, licet supestatæ fidei, circumferuntur inter alios authores, quos Pontificij Orthodoxiam Patrum vocant. Disertè vero de illa fama testantur, *Iosephus de bello Iudaico* lib. 7. c. 9. Quod, inquit, maximè eos (Iudæos) ad bellum excitaverat, responsum erat ambiguum, in sacris libris inven-

29

inventum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus  
orbis terræ habiturus imperium. Et Corn. Tacitus lib.  
Hist. 5, pag. [edit Lips. 622.] Pluribus persuasio inerat, an-  
tiquis Sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut vale-  
sceret oriens, profectiq. Iudea rerum potirentur. Et hujus  
verba ferè expressissime videtur Suetonius in Vespasiano, ubi  
percrebuisse ait in toto oriente, veterem & constantem opinio-  
nem, esse in fatis, ut quidam Iudea profecti rerum potirentur.  
Quid, quod ipse Josephus genere Judæus, nec unquam,  
quantū memoriae proditum est, Christianis sacris initia-  
ti, Jesum tamen Nazareum pro Christo agnovit, ut ipse  
de se indicium facit: verba ejus lib. antiqu. 18. c. 17. ex e-  
mendata Ruffini versione hæc sunt. Eodem tempore  
fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat  
enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum quilibenter  
vera suscipiunt, plurimosq. tam de Iudeis quam de Gracis secta-  
tores habuit. CHRISTUS hic erat, quem accusatum à nostræ  
gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non  
desliterunt eum diligere, qui ab intero capertunt. Apparuit en-  
eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eu. vates hoc & alia multa  
miranda predixerant, & usq; in bodiernum diem Chri-  
stianorum genus ab hoc denominatum non defecit. Nec non  
versimile est mansisse in Oriente seminaria quædam,  
doctrinæ coelestis de adventu Messiae ex disciplina & in-  
stitutione Danielis, unde occasionem nacti sunt Magi re-  
cens natum Judæorum Regem quærendi: & Herodes  
auditâ voce novi Regis Judæorum, doctrinæ istius non  
ignarus, statim ipsum Christum seu Messiam vocat.

LVIII. Locus nativitatis Dominicæ erat Bethlehem,  
civitas in illustri loco & quasi centro orbis sita, non-  
tam amplitudine & structuræ magnificentia, quam Do-

mini natalitijs clara... Et hæc etiam circa uerbiū ad  
Prophetica oracula congruit. *Micheas enim cap. 5.2.* di-  
cit: *Tu autem Bethlehem Ephrata, parvula es, ut sis in milli-  
bus Iudeah: Ex te (tamen) mihi egredietur, qui sit dominator  
in Israël, & egressus ejus ab initio à diebus seculi.* Ita vertit  
Pagninus, *Rabbini* ta n veteres quām hodierni locū hunc  
varijs modis eludere & quoquo versū n torqueare conin-  
tar, ne verba hæc Prophetæ in JESUM nostrum compe-  
tere videantur: sed sudes ipsis in oculis est *Paraphrasis  
Chaldaica*, quæ illa verba, *mīm nechā li jeze*, reddit, *mīm-  
mab Kālāwī jipok neschicha*, b. e. ex te, coram me, prodibit.  
*Messias;* Ethanc paraphrasin etiam *Scribe & Pharisei* se-  
cuti, textum illum de *Messia* interpretantur: nam mon-  
stratur locum nativitatis *Messie*, vaticinium hoc addu-  
cunt, non tam verba, quām sensum exprimentes, ut  
cognoscas eos ista præmeditatos loqui. Illud autem  
reprehendendum, tam in versione Chaldaica, quām in  
Scribarum allegatione, nullam fieri mentionem egres-  
sus ejus ab æterno: & hinc non tantum veteres *Rabbini Aben Ezra*, & *D. Kimki*, sed etiam moderti *Iudei*, *Benjamin Musaphia*, *David Cohen Hamburgenses*, aijq: ejus gre-  
gis, divinitatem *Messie* ex hoc loco probari posse ne-  
gant. Sed benè habet, quod in pro nptu nobis sit ce-  
leberrimus, inter ipsos, V. Tti interpres *Salomon Jarisch*,  
qui perpetuos in Vetus Testament. ediderat commenta-  
rios. Verba ejus in hunc locum bona fide ita Latini-  
ne reddimus: *Et tu Bethlehem Ephrata, unde exibit David,  
juxta illud: Filius servi tui Isai Bethlehemita (respicit ad  
locum, i. Sam. 17.58.) & Bethlehem vocata Ephrata, juxta il-  
lad: in via Ephrata ipsa Bethlehem (verba illa habentur.,  
Gen. 35.) parva ut sis in millibus Iehudah visa fuisti eſe parva in-  
fami-*

51

familijs Iehudah, propter scorias seu nèvos Ruth Moabitidis, que  
in te, (fuerat) ex te egredietur mihi Mesciach Filius David,  
& hic ille dictus lapis (quem) reprobavit adificantes. Et e-  
gressiones ejus ab eterno (juxta illud) ante solem filiabitur no-  
men ejus (Psal. 72.) id est sobolescat vel propagabitur. Quæ legi  
possunt in Biblijs Basileæ editis operâ Ludovici König,  
anno, secundum æram Judæorum, 383. h. e. A. C. 1623.  
Hoc testimonium veritatis ab homine Judæo & obsti-  
nato expressit scripturarum evidētia. Sed de hoc di-  
cto satis, nam singula verba ponderare, non est nostri  
instituti. Ettantum etiam de loci circumstantiâ adeoq;  
historia nativitatis Christi, quatenus descriptio hæc Uni-  
onis, anam nobis præbuit.

LIX. Postremò modum etiam Unionis Personalis expri-  
mit Confessio nostra, dicens naturas illas inseparabiliter  
esse conjunctas, quæ vox sumpta est è decreto Chalcedo-  
nensis Concilij, Oecumenici, iv. quod tempore Leonis  
Primi contra Eutychem cogebatur. Verba Concilij a-  
ctione quinta sunt: *Unum & eundem Filium Dominum no-  
strum Iesum Christum confitemur, & uno consensu omnes da-  
cerimus eum perfectum in Divinitate perfectum etiam in huma-  
nitate, verè Deum verè hominem, anima rationali & corpore  
constantem: consubstantialem Patri secundum Divinitatem,  
nobis consubstantialem secundum humanitatem, & paucis in-  
terjectis, hunc in duabus naturis inconfuse, immutabili-  
ter, indivise, inseparabiliter cognoscendum, & naturarum  
differentiam propter unionem minimè sublatam, sed proprieta-  
tem utriusq; naturæ integrum servatam, & in unam personam  
coèuntem.* Et similia habet confessio Sextæ Synodi  
Constantinopoli sub Constantino Pogonato contra  
Monothelitas coactæ, quæ legi possunt T. i. Conc. fol.  
479. Tom. 3. fol. 18. & in summa Bart, Carrantzæ actione

quarta Sextæ Synodi fol. 315. Est ergo unio hæc adeo  
arcta & indissolubilis, ut neq; mors neq; omnes Diaboli eam  
dividere aut separare potuerint, ut in Maj. de cæn. Dom.  
Conf. ait B. Lutherus. Sed hæc fusiūs, cum Deo de-  
clarabimus in doctrina de Comm. Idiomatum, ubi et-  
iam Eutychis & Nestorij hæreses refutabitur.

Ut ad hoc membrum aliquid mantisse addam, subiiciam quædam ex  
PRUDENTIO, qui in persona Apostolorum, quos in Apotheosi cōtra Unioni-  
tas loquentes introducit, personam & officium Christi duplēcēmque eius habitum  
pulcherrimē exp̄essit.

**S**ed nos qui Dominum libris & corpore jam bis-  
Vidimus, antè fide, mox carne & tangvine coram.:  
Quiq; voluminibus vatum, cruce teste, probatis  
Rimantes digitos costarum in vulnera cruda  
Merimūs, & manuum, visu dubitante, lacunas  
Scrutati æternum Regem cognovimus Iesum.:  
Abjurare Deo titulum, nomenq; paternum,  
Credimus esse nefas, qui Regem protulit ex se.:  
Non regem populi Parthorum aut Romulidarum,,  
Sed Regem summæ & mediæ rationis & impæ,  
Atq; ideo rerum Dominum, & super omnia Regem.  
Carnis habet medium, sum tu in Patris, & stygis innum.  
Defluit his gradibus, rursusq; revolvitor in se.  
Est Deus, est & homo: fit mortuus, & Deus idem est.  
Omnia percurrit naturæ munia prona,  
Ut rorsum Patris in gremium replicata reportet,  
Mortua qvæ fuerant, ipsos quoq; subvehat artus.  
Hoc fore cum Veterum cecini silent organa vatum.:  
Nos oculis, manibus, congressu, voce, loq; vela  
Expertī, heroum tandem intellectimus orsa  
Priscorum, & viso patefacta oracula Christo.  
Hæc est nostra salus, hinc vivimus, hinc animamur.